



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes**

**Scaliger, Julius Caesar**  
**Lugduni Batavorum, 1600**

Eidem. LXXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



quod explere tibi non potui, quæ fueram pollicitus, propterea quod totam æstatem pene æger decubui. Theophrastus tamen totus absolutus est cum Commentariis. verum quid tum postea? cum mea opera præsentis nequeant, necesse est ignibus abiturum emendatum iri. Idem fiet de historiis animalium, deque cæteris omnibus monumentis, quæ captas non admodum pusillas complent: tametsi poeticæ institutiones meæ an euaserint tam acerbam fortunam, an peiorem subierint, nescio. Scito enim haud ita diu multum esse, cum illos libros dedi Lugdunum perferendos Roberto Constantino, cuius integritas & fides nisi æquarent ingentem eruditionem, hoc interueniente casu, quid hariolandum mihi fuerit, nesciam. Eos tamen tuæ fidei commendando tanquam posthumos. Cætera Deus viderit. Vale. XXI II. Septembris.

*Manu Iosephi.*

EIDEM. LXXVIII.

**E**CCE tibi de integro libri poetices, tuis vocibus reuocati: quos cum ex illo terrimo naufragio liberatos subtraxeris, se in tuam fidem tanquam in portum quæpiam

Qs

piam



piam contulere. atque hoc officii genere, qui me plurimis iam pridem obstrinxeris beneficiis, adeo affeceris, ut vel ipsum animum vix tuis parem meritis ad habendam gratiam videar afferre posse. tanti ego libros hocce facio. Nam tamen si grauiora sapientiæ studia nos abduxerant ab amantibus leuioris literaturæ: tamen cum & has intelligerem diuerticula esse animi defatigati, & illa me defatigaret, quo me ingenii mei simplicitas vocabat, facile adductus sum ab ipsis commoditatibus: ita tamen ut veteres lucubratiunculas non tam nouis munitiõibus instaurarem, quam accuratioribus iudiciis recensere. Hos itaque, ut iussisti, remitto libros, cum non vulgari captus voluptate propter spem futuræ (si qua futura est) gloriæ, tum quod eam mihi amplissimam euenturam sperabam, quæ cum tua laude coniuncta eo magis expectaret illustrem posteritatis commendationem. Non enim tam operosum mihi fuit tantis vigiliis redimere perpetuam mei nominis obliuionem, quam tibi ita placere, ut quanta extet inter bonos viros de nobis opinio, in ea mihi ipsi non displicere possem. Etenim qui cum generis nobilitate spectatam fidem, prouidam  
simplici-



simplicitatem, solidam pietatem, cum iis omnibus omnium bonarum artium studia coniunxeris: non potui mihi persuadere de meis commentationibus quicquam amplius supprimendum, quod tu luce dignum iudicares. Nam etsi libri ii præter cæteros meos multa variaque sunt eruditione opulenti, multorum iudiciorum acrimonia admirabiles: tamen, ut nunc est sæculum fastidioso supercilio durum, atque adeo parum candidum, non sum ratus meæ mihi standum esse persuasioni, quæ vel impelleret, vel deterreret ab editione, nisi te consulto prius: ut utram in partem statueres, eo meus animus inclinaret. Non igitur eos tibi commendabo, quos tu iam pro tuis suscepisti: sed orabo potius, ut tuo excellenti iudicio recensitos atque castigatos, tuæ laudis communicatione dignos efficias. Vale.

IULIUS CÆSAR SCALIGER

BOETHIO EPO S.

CUM tuæ mihi literæ debuerunt esse iucundissimæ, propterea quod fere scripta omnia suorum auctorum animos ac mores exprimunt: tui vero mores humani-  
tatis